



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

30. Dies Junii. Omne tempus nobis impensum; à nobis exigetur, qualiter sit expensum. S. Bern. discep. 208.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

Junius.

Tessera.

503

miramini? ego verò vos mirari video. Consideratis enim
ærumnis, ac periculis, cum quibus vivimus; & securita-
te, ac quiete, cum quam morimur, majore, dico, fortitudi-
ne opus esse ad vivendum, quam audaciā, ad morien-
dum. Verum est, minus malū est mors honesta, quam
vita ærumnosa: sed Christiano, mors erit secura, si
juxta leges Christi, vita fuerit honesta: ut talis sit vi-
ta, qualem optabis fuisse, dum desines vivere, jurabit
illud /xp̄ē expendere:

Quid caro? vilis humus: quid carnis gloria? suimus.

30. DIES JUNII.

Omne tempus nobis impensum; à nobis
exigetur, qualiter sit expensum. *S. Bern.*
discep. 208.

Temporis I.
ratio ex-
cta red-
denda.

Iunii jam nobis elapsi tempus im-
pendimus; quomodo expenderi-
mus, à nobis olim, coram supremi
Judicis tribunali exigetur. Si præ-
teriti mensis, male; saltem ut futuri tempus, magno
cum quæstu salutis, hoc est, benè impendamus, A-
eternitatis immensum tempus, ad quod tacitis annis
devolvimur, animo expendamus. Teste Boëtio,
(a) *Aeternitas est vita interminabilis tota simul, &*
perfecta possessio. Quæ licet Deo potissimum congruat;
convenit tamen & beatis Deo fruentibus: illi enim
possident vitam, bonis omnibus cumulatissimam,
perfectam, integrām, & nunquam desitaram. Nulla
est enim fruendi boni forma præstantior, quam
(a) *L. 5. prof. 6.*

Ii 4

plena

plena possessio, ut quæ pleno imprimis dominii jure fulciatur; quæ verò habentur seu commodata, se deposita, non sunt satis expediti usus, planeque liberi: deinde nec rerum fruendarum intercedine, ne facultatum fruentium pugnantibus inter se munebus, angustiisque dividitur; sed tota simul est; cum è contrario, gaudere caducis nemo potest, ac ne pluribus quidem, nisi ea dispenset apta successio; & si admoveat sensibus, ut possit ab iis percipi, nec sensus unius interturbetur ab alio.

II. Deinde, eadem est perfecta, tum quod tranquillè, vereque secura, tum quod Beatis nihil obstat bonorum diversitas, longinquitas, celsitas; quoniam minus in illa totus se animus infundat, totumque illam animum se penetrant; ac suæ illum jucunditati, quantum quantus est, penitus asserant. O Beatitudinem! quæ tota, quam tumvis immensa; quæ simul, tametsi æterna; quæ perfectè, plenè, ac intime, licet varia, multiplex, & effusa possideatur. O nostra, in his virtutib; bonis, angusta, brevia, pannosa gaudia; secumque non raro, saepius nobiscum pugnantia! Unde etiam scriptus Plotinus, (a) *Eternitatem, vitam esse plenam, ac simul totam;* nullâ, scilicet, animæ, sensuum, ac virtute liquidisimis suis voluptatibus vacuâ vel egenite; nullâ facultate alterius occupationem, & gaudia intercipiente. Reorum verò, quos Dei justitia æternis addixit suppliciis, his in oppositum, heu! nimium similes, & lachrymabiles, quâ mente spectabimus? sic enim ii suis arctantur, pervadunturque suppliciis; ut illa se tota totis illorum corporibus, & animis, ac sensibus intrudant; & ut ita dicam, possi-

(a) *Ennead.* 37.

nii
ta, le
de libo
ne, ne
nunca
st; cui
ne plu
; & s
ecle
distr
obst
uo mi
e illa
quan
! qu
si ater
multi
bonis
non r
scripsi
, ac si
ac vita
egen
gaudia
eternis
um si
simus?
uppli
, &
dicam,
possi
nius.

Junius.

Tessera.

505

possideantur non solâ injectione manuum , aut pedum ; sed omnium virium , & articulorum immersione coactâ , ineluctabili , sempiternâ .

III. Addo , & plena , & simul tota , ob cruciatuum omnium concursum , nec sibi obstantum , nec torquendi atrocitate obtundentium sui sensum , nec partis unius dolore , tormentum alterius consopientium : nec enim spiritus , quibus utitur attentus , & absorptus flammis , sentit mirius flamas , quibus carnes liquantur : nec famem , & sitim amaror , nec visorum horror , aurum metus attonitos , nec sensus cuiusquam , aut partis dolorem , dolor alterius distrahit , aut retundit : suis , tota præsens tormentis omnibus anima non potest non adesse . Deus immortalis ! Saxum excavat aquæ gutta ; quadraginta dierum pluvia , orbem mergit ; quid , cum ignem , sulphur , tempestates æternō impetu in miseram animam , ira Judicis vibrabit ? Hæc dum legis , necdum qui jaces , surgis ? qui dormis , evigilas ? qui torpes , exilis ? qui feriaris , laboras ? ut infaustam æternitatem declines totam ; ut hoc vitæ momentum benè impendas , animum inclina . Cuidam quærenti à Bante , quid difficillimum esset mensurari ? Nihil , inquit , rerum omnium esse , quod tam accuratam desiderat , quam tempus , in metiendo diligentiam . Adeò quippe exactè metiendum tempus , ut neque rationi quidquam ad benè agendum desit , neque libidine quicquam ad malè agendum supersit . Cogita vitam esse viam ; vitæ tempus esse cursum ad metam . Hisce omnibus Poëta hoc lemma inscribit :

Per quasvis horas , ad metam volvitur atlas .

Ii 5

I. DIES